



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

III. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine,
quoniam conturbata sunt ossa mea. Psalm. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734



*Miserere mei Domine, quoniam infir-
mus sum; sana me Domine, quoniam
conturbata sunt ossa mea, Psal. 6.*

C. Blavogus fec.

3

I I I.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum:
 sana me Domine, quoniam conturbata
 sunt ossa mea. Psal. 6.

Conquerar; an fileam? iustas habet ira que-
 relas.

Heu sine Pœonia sola relinquer ope!
 Non ego iussa licet iuratis credere verbis,
 Sperassem, cordi non magis esse tibi.
 Siccine tardus ades, neq; nostra pericula tangunt?
 Quæ potuit tanta causa fuisse mera?
 O mea spes! Numen quo non presentius agris,
 Sic potis es nostri non memor esse mali?
 Nunc aderant pariter Podalyrius, atq; Melæpus,
 Phillyrides Chiron, Pœoniusque senex.
 Multaque præterea comitata Machaone turba;
 Quique aliquod medica nomen ab artegerunt:
 Tu solus deeras, morborum publica cura,
 Postque tot Hippocrates ultimus ecce venis,
 O mea spes! numen quo non presentius agris,
 Sic potis es nostri non memor esse mali?
 Omnibus est oris visus color indice lingua,

C 2 Omi-

Omnibus admota vena notata manu :
 Nil, aiunt, vitale rubet, neque languida certis
 Vena notat, pulsu praeoriente ! moras ;
 Idque ego plus ipsis deprendo medentibus agra,
 Destituit medicos ars sua, meque salus .
 Quid nã igitur sperem fugiētibus orba Magistris,
 Morbus ubi vincit senior artis opem ?
 Coeca per infectas serpunt contagia venas,
 Imaque subsidit lapsus in ossa dolor ;
 Et caput, & cubiti se sustentare recusant,
 Tinctaque vix Baccho Vena medente redit .
 Et iam vix animæ superest pars ultima nostræ,
 Heu paror inferijs proxima pompa meis !
 Denique qui morbos cupit omnes discere nostros,
 Copia quod fieri non sinit, ille cupit .
 Hic status, hæc rerum facies miseranda mearū est,
 Nec inuor ullius, qui medeatur, ope,
 Aspice, vix nostram poteris dignoscere formam,
 Vultus abest vultu, seque nec ipse refert .
 Lumina suffossis retrò fugere cauernis,
 Magnaque purpureis facta ruina genis ;
 Nec quisquã hanc ferro potuit, compescere noxam
 Quin caput & faciem carperet atra lues .
 Tetrica quid memorem vigilis fastidia lecti ?
 Queque manu tangi vulnera cruda timent ?
 Vul-

Vulnera proh nullis medicāda Machaonis herbis!

Qualia, quæ secuit barbarus ensis, hiant:

Vulnera, secretas animi populantia fibras,

Quæ nullus medica claudat hiulca manu.

Nempe graues, mea sunt, quas feci, vulnera noxæ,

Vulnera, trux animæ carnificina meæ.

Adde, quod intus opū dirus mihi turgeat hydrops,

Lentaque quod meditor nausea tardet opus;

Tensaque ventosi propè rumpant ilia fastus,

Et Veneris tacitus pectora cancer edat.

Hæc ego sepè dedi varijs tractanda Magistris,

Semper at oblata cura fefellit opis.

Scilicet ipse suas, hic tentet inaniter artes,

Qui raptum Androgeo reddidit arte diem;

Quique potestates succorum norat & usum,

Vna salus ægris spesque, Epidaure, tuis:

Nec inuet hic Chiron, operose viribus herba.

Nec summum medici numen Appollo chori:

Officium tanto cedit minus omne dolori,

Non habet hic vllum succus, odor vè, locum,

Quas igitur spectem, vestri nisi Numinis, aras,

Funeribus nullis quas Libitina notat?

O mea spes! Numen quo non presentius vllum!

Ecce tuam veneror, mortua penè, manus.

Sanus Appollineà non indiget arte vel herba,

*Lege Machaonia, qui dolet, artis eget,
Mens mihi laesa dolet, plus simplice vulneris ictu;
Ne doleat, vires experiare tuas.
Illa ego sum, Solymis quam prædo cruentus arenis
Strauit. & immiti diffidit ense latus:
Tu Samarita, mero; Tu vulnera mitis oliuo
Obline, barbarica vulnera facta manu;
Quosque Leuita negat, medicos inuerge liquores,
Crescet ab infuso rore meroque salus.*



LIBER PRIMVS. 39

AVGVSTINVS.

Serm. 55.

De Verbis Domini. c. 11.

Iacet toto orbe ab oriente vsque ad occiden-
tem grandis ægrotus, sed ad sanandum
grandem ægrotum descendit omnipotens me-
dicus; humiliavit se vsque ad mortalem car-
nem; tamquam vsque ad lectum ægrotantis.

C 4 Vide